

In ordine ad proximum, distinguenda sunt signa dilectionis communia, & specialia. Communia dicuntur, quae communitate omnibus exhibentur; vel forte melius, quae Christiano a quovis Christiano, concivi a quovis concive, cognato a quovis cognato, &c. communitate exhibentur; quia, licet haec possint esse specialia respectu ad omnes homines, sunt tamen communia in sua classe. Specialia sunt, quae exhibentur determinatis personis, aut amicis familiaribus.

Hinc inferes, per se loquendo esse illicitum excludere inimicum a communibus orationibus, communibus elemosynis, aut communi beneficio, etiamsi ex mera liberalitate facta, ut si omnibus pauperibus alicujus oppidi facias elemosynam, vel alicui Collegio, seu Communitati praestes beneficium, puta, exhibeas prandium, & excludas inimicum. Licet enim exhibere prandium sit secundum se speciale signum amicitiae, hoc ipso tamen quod exhibetur toti Communitati, non est speciale respectu unius membri, sed commune. Item peccat, qui mereas expositas vendere recusat inimico, qui ipsi alloquanti non respondet, ipsum salutantem non resalutat, qui pluribus occurrentes omnes salutatur praeter inimicum; quia haec sunt signa communia dilectionis, quae communitate omnibus exhibentur. Per se autem non peccat, qui non orat specialiter pro inimicis, qui familiariter cum iis non colloquitur, qui eos non invisit, aut non invitatur ad mensam, quia haec sunt specialia signa dilectionis. Quidam etiam excusant, qui inimicum obvium non salutatur, quia, inquit, non magis teneor salutare inimicum, quam alterum. Verum limita, ubi non est consuetudo omnes obvios salutandi, & non appareat id fieri ex odio.

Dixi tam in Conclusionem, quam in Consecratio, per se loquendo, qui per accidens possunt aliquando sine peccato, aut saltem sine gravi, denegari signa communia inimicis; & aliquando praecipuum est illis dare signa specialia. Itaque non tenemur dare signa communia, quando charitas erga nos, vel proximum, aut iustitia contrarium suadet, aut rationalis causa excusat. Charitas erga nos, & proximum: ut si ex denegatione signorum communium speratur inimicus emendandus, & non scandalizandus: si ex aspectu, aut colloquio cum inimico timeas, ne injuriam recordatio, major commotio, aut novae rixae insurgant: deberet tamen in hoc casu innotescere, id non denegari ex odio. Iustitia, ut si Parentes, aut Superiores in punitionem justam, & correctionem filii, aut sabditi, puta ob crimen infame, contractum indignum matrimonium, &c. denegent absque interno odio alioquin, aspectum benignum, aliae beneficia, & signa, hiis, aut subditis exhiberi solita: modo tamen haec vindicta, seu poena non excedat modum delicti, nec in perpetuum duret. Rationalis causa, ut si te offendenti deneges loquelam, responsum, salutationem, &c. in instanti injuriam acceptae, vel post ad brevem moram, non ex odio, & vindicta, sed in significationem justae doloris, & tristitia ex injuria accepta, idque exterius appareat: item, si sit leve scandalum: item, si ob injuriam te, aut familiam graviter diffamantem exhibeas austeriorem vultum, aut tristitiam, vel deneges alioquin, & salutationem, ne videaris parvi aestimare tantam injuriam: in his casibus poteris excusari a peccato, saltem gravi.

Contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico, in duobus praesertim casibus. 1. Quando inimicus veniam petit. 2. Quando ejus necessitas saltem gravis corporalis, vel spiritualis ita existit. Auctor hic secundum easum tantum exprimit, sed q. 83. a. 2. cit. & in 3. d. 30. a. 2. ad 3. etiam primum exprimit. Unde, quando hic dicit non esse necesse dare specialia signa dilectionis inimico extra casum necessitatis, sumit necessitatem paulo latius, sive pro ea, quam inimicus petit, sive pro ea, quam petendo veniam inducit. Censetur autem gravis inimici necessitas, quando est in gravi periculo vite, fame, aut fortunae: item quando salus ejus animae periclitatur, aut grave scandalum timetur, si non exhibeantur illa specialia dilectionis signa. Ratio autem hujus corollarii est; quia, cum in certis casibus teneamur benefacere inimico, & ei signa dilectionis specialia ostendere, non possunt convenientiores assignari, quam quando petit gravem necessitatem, aut petit reconciliationem: alioquin erit signum interni odii, & grave scandalum, & aliis & ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur, & in inimicitia obfirmabitur. Potest assignari tertius casus, quando exhibitio signorum specialium est necessaria ad vincendam tentationem odii, vel alteram.

Ut itaque dignoscatur, quando, & quantum peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna, & significatio externa offensiva inimici. Quantum ad intentionem: Si deneges inimico signa dilectionis v. gr. ipsum salutare, alioqui, &c. ex odio gravi abominationis ejus personae, quia apprehendis ipsum malum & summe contemnis, indignumque reputas tua salutatione, vel alioquin, videtur peccatum mortale. Si ex odio inimicitiae haec deneges, ut ipsum affligas, & illi male sit, est etiam peccatum mortale ex genere; quod potest fieri leve ex levitate materiae.

Quantum ad significationem externam offensivam inimici attendendum est. 1. Utrum facta, vel omisa significent reverentiam internum odium. 2. Utrum inimicus haec advertat, & aegre ferat, atque inde offensus scandalizetur, & obfirmetur in inimicitia: & tunc ex gravitate, vel levitate scandalii, & offensione aestimanda est gravitas, vel levitas peccati mortalis, vel venialis. Unde potest ex hoc capite statui haec regula generalis. Secluso odio interno, ea tantum signa, & opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omissione is, & alii merito intelligunt nos ea denegare ex malo odii, vel vindictae affectu in inimicum.

Casus speciales.

PRIMUM casus. Duo autem inimicitiam, puta, duo Religiosi in Monasterio, se salutabant, & passim colloquebantur. Post rixam nec se salutant, nec colloquuntur. Peccantne? R. ex regula praeced. Si inde sequatur scandalum tam inter ipsos, quam in Communitate proinde ordinari accidit, peccant mortaliter, vel venialiter pro quantitate scandalii. Si tamen antea erant specialiter amici, & amica colloquia miscebant, non tenentur redintegrare specialem amicitiam, & amica colloquia; quia ex hac omissione non potest colligi odium, modo se habeant ad invicem, sicut ad ceteros Confratres.

Secundus casus. Teneturne quis salutare inimicum, ipsum alloqui, ipsi propinquare, &c. si sciet ipsum non responditur, non resalutaturum, &c. R. Si id certo sciat, quia iam expertus est, vel quia inimicus sic asseveravit, videtur non teneri; quia id sibi imputare debet inimicus, nec inde scandalum pati potest, cum videat hunc non denegari ex odio, sed ex propria sua malitia: quod si tamen dubitet, debet saltem semel experiri: quod si aliter non respondet, videtur deinceps excusandus.

Petes 1. Utrum offensus teneatur omnia condonare, seu remittere inimico, reconciliationem petenti? Ante responsionem nota, distinguendum esse inter offensam simplicem, offensam injuriosam, & offensam damnosam. Offensa simplex est lesio, seu irritatio voluntatis alterius, absque laesione juris, aut damno: ut si amico petenti a te obsequium, quo maxime indiget, & quod licet praestare potest, deneges, offensam amicum, & ipsum moves, ut a te averratur, & contra te indignetur; non tamen facis illi injuriam, quia nullum jus ejus strictum violas. Offensa injuriosa, seu simplex injuria est violatio stricti juris alieni sine damno tamen: ut si alicui soli contumeliam inferas, si alterius uxorem cognoscas, non secuta prole. Offensa damnosa est, si auferas ab aliquo, quod suum est, seu ipsi noceas in bonis animae, vite, fame, aut fortunae. Unde in offensus a quo petitur reconciliatio, tria attendi possunt. Primum, remissio offensae, seu depositio indignationis, & aversionis, seu odii. Secundum, signa hujus remissionis. Tertium, remissio injuriae, & dampni. Potest autem peti reconciliatio variis modis; nec semper est necesse, quod petatur per veniam petitionem, vel alia signa humilitationis; sed quandoque sufficit petere per specialia signa amicitiae, per preventionem in honore, per amicabilem colloquium, ut solet fieri a superioribus erga inferiores. Nunc ad Petitionem.

R. Offensus teneri inimico, petenti reconciliationem, remittere offensam simplicem, seu deponere aversionem, indignationem, & odium, & hujus depositionis signa quandam exhibere: constat ex praecedentibus. Sed non tenetur remittere injuriam, & dampnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem, & pro damno restitutionem; quia unusquisque potest jus suum prosequi apud legitimum judicem. Cavendum est tamen, ne inimicus ad satisfactionem, vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a Judge petatur satisfactio, quando ipse rationabilem offert; id enim vix fieri poterit absque aliquo appetitu vindictae. Item, ubi agitur de poena capitis, aut mutilatione, & nullum emolumentum parti laesae inde obvenit, expedit propter eandem rationem illam non urgere: secus

esset, si communitas, aut familia offensae maneret infamis, si offensus non puniatur secundum leges.

Petes 2. Quis sit sensus hujus sententiae Christi Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum. R. Sensus esse: si paratus offerre sacrificium, aut quodcumque bonum opus facere, recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, quia in aliquo ipsum offendisti; nam, si ipse te offendit, jam non frater habet aliquid adversum te, sed tu adversus illum, sicut non teneris veniam postulare, sed tantum dimittere; Relinque ibi munus tuum, id est, absque mora, etiam ante oblationem sacrificii, va-

de prius reconciliari fratri tuo, id est, cura, ut in gratiam cum fratre redeas; quo facto offer sacrificium, quod erit meritum & gratum Deo. Haec autem re ipsa quidem praestanda sunt, sed juxta naturam praecipri affirmativi, quando scilicet ratio prudentiae, locus, & tempus id permittunt; alioquin animi praeparatione & cordis affectu haec praestare sufficit, ut docet Aug. serm. de verbis Domini in monte. Chrysostomus, Theophilactus, & quidam alii intelligunt hanc Christi sententiam, tam de offenso, quam de offendentem: sed sic est consilium tantum, & non praecipuum. Porro ex hoc loco ortus est antiquus Ecclesiae usus dandi invicem ante communionem osculum sanctum, vel, ut nunc fit, tabellam pacis.

DISSERTATIO IV.

DE ORDINE ET PRAECIPUO ACTU CHARITATIS, QUI EST DILECTIO.

Div. Thom. Quaest. 26. & 27.

CUM quatuor sint ex charitate diligenda, ut docet Auctor art. ultimo praeced. questionis post Aug. & constat ex dictis: unum, quod supra nos est, scilicet Deus; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est, scilicet proximus; quartum, quod infra nos est, scilicet corpus nostrum; & bonum, quod est charitatis objectum, non aequaliter ab omnibus participetur; manifestum est, esse aliquem ordinem in charitate, juxta illud Cantic. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem. (Hic quaest. 26. art. 1. o.)

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit magis ex charitate diligendus, quam proximus?

Observant communiter Theologi, unum plus altero posse diligere tripliciter: 1. Objective, quando volumus ei majus bonum, quam alteri, ut si optem Imperium Titio, Ducatum Caio, plus objective diligo Titium, quam Caicum. 2. Appretiative, quando unus plus aestimatur, quam alter, & amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus, quam alterius amicitiam perdere. 3. Intensive, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori & perfectiori secundum gradus intentionales, quam alter.

Nec obstant, quod Auctor in hac questione videatur agnoscere tantum duos modos, unum ex parte objecti, alterum ex parte diligentis; quia, qui est ex parte diligentis comprehendit duos scilicet majorem appretiative, & majorem intensive; uterque enim est ex parte diligentis. Unde, quando interdum dicit, illos intensius esse diligendos, qui sunt ex charitate diligendi, sumit intentionem generaliter pro perfectione actus, sive ista perfectio sit secundum appretiationem, sive secundum gradus intentionales.

Dico 1. (Ibid. a. 2. & 3. o.) Deus est ex charitate diligendus super omnia, & pra omnibus objective & appretiative: sicut, simpliciter loquendo, est magis diligendus, quam proximus, & quam nos ipsi. Ratio est; quia debemus velle Deo omne bonum infinitum, ob infinitas & amabiles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item debemus ita illum aestimare, ita illi affici, ut mallemus omnia perdere & pati, potiusquam ipsum deserere; atqui hoc est super omnia ipsum diligere objective & appretiative: ergo. Idque exprimitur in pluribus locis Scripturae. Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in tota anima tua, & in tota mente tua: Hoc est maximum & primum mandatum. Matth. 10. Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Luc. 14. Si quis non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.

In hac Conclusionem omnes conveniunt; sed difficultas est de intentione dilectionis, an ex praecipuo charitatis Deus sit intensius diligendus, quam proximus. Suppono, ad rationem charitatis secundum se non requiri intentionem; minima enim charitas justificat, & quilibet actus charitatis etiam remissus meretur vitam aeternam, ut Dissert. 2. probatum est. Suppono 2. Deum esse dignum, qui ame-

tur amore perfectissimo & magis intenso, quam quaelibet creatura; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus; & ideo inordinatum foret eligere creaturam amore intensius quam Deum; hoc enim esset judicare, eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum & magis appretiative amandum; quod totum est falsum & inordinatum: debet ergo homo eligere amare Deum summo amore, & intensius quam creaturam. At utrum, si in actu dilectionis non reperitur ista major intentio ex conditione naturae, ut mox explicabimus, sit inordinatio & peccatum? Affirmant quidam Lovanienses cum Petro Soto: non sunt tamen inter se concordantes; quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2. Non peccat contra praecipuum charitatis, qui intensiori amore sive naturali, sive supernaturali, diligit proximum, quam Deum. Prob. 1. eodem argumento, quo in Tract. de Penitentia probavimus, dolorem de peccatis non debere necessariò esse maximum intensivè. Intentio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti momenti illam; inde enim fit, quod majori conatu & fervore feratur in ipsum; atqui objectum sensibile, ut est proximus, vehementius movet voluntatem, quam spirituale, ut est Deus: ergo. Prob. Min. Quod objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet; atqui objectum sensibile pro hoc statu est propinquius voluntati, quam spirituale: ergo Prob. Min. Sensibilia sunt proxima & immediata sensibus; voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos, & ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus: ergo. Conf. Voluntas intensius fertur in minus bonum praesens, quam in majus absens; id experientia notum est: nec alia ratione contingit, quam quia objectum praesens propinquius est voluntati & magis ipsam movet; quamvis tamen in appretiatione mallet perdere minus bonum praesens, quam majus absens, & pati minus malum praesens, quam majus absens. Unde Auctor suppl. q. 3. a. 1. ad 4. dicit: Homo etiam bene dispositus, quandoque magis percipit in se horrorem praecedentis peccati (cujus aliquis effectus remanet) quam praecedentis culpa; quamvis esset magis paratus pati eandem poenam, quam committere eandem culpam.

Prob. 2. Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri per se loquendo ad maximam intensionem charitatis. Suppono itaque, quod nunc eliciam acrum dilectionis Dei ad quatuor, iste actus est bonus & meritorius; postea elicio actum honestum amoris sive naturalis, sive supernaturalis, proximi ad quinque, iste secundus actus non potest efficere, quod primus, qui fuit bonus, fuit malus; transit enim bonus, nec est amplius mutationi obnoxius: ergo.

Si dicas, questionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter Deum & hominem 1. N. Suppositum; duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt, & adveniente secundo primus transit. Insuper, si questio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum & hominem, vix est quod moveretur questio, quandonam enim sic contingit? Imò totaliter evanes-

cit questio; sic enim esset eligere amare Deum minus intente, quam hominem, quod est extra questionem, & quod fatetur esse inordinatum.

Prob. 3. ab inconvenientibus. Sequitur 1. ex opposita sententia, quod e duobus actibus charitatis aequè intensus unus sit bonus, alter malus, imò intensior malus & minus intensus bonus. Pone enim duos homines, quorum unus elicit actum dilectionis Dei ad tria, & actum dilectionis proximi ad duo, iste actus dilectionis Dei ad tria erit bonus; alter autem elicit actum dilectionis Dei ad quatuor, & actum dilectionis proximi ad quique, iste actus dilectionis Dei ad quatuor erit malus, quamvis intensior primo; atqui hoc videtur absurdum: ergo.

Dicunt, hunc amorem Dei ad quatuor non esse malum, quia est ad quatuor; sed quia minor est amore proximi ad quinq. Sed contra: isti duo actus, ut jam dixi, non eliciunt eodem tempore comparando inter objecta, sed quando secundus advenit, prior transit, nec potest amplius vitari.

Secquitur 2. anxietas perpetua conscientiarum; quia impossibile est discernere inter gradus intensiois, & scire, an intensius amemus Deum, quam proximum. Respondet Eruditissimus Daëlmann negando sequelam; & dicit, quod facile cognoscimus nos diligere Deum plusquam creaturas, cum infallibilitè fiat, quod intensius diligamus Deum, quam creaturam, dum hanc diligimus propter Deum; adeoque tollitur anxietas, & sufficit, quod cognoscamus primum, scilicet nos diligere creaturam propter Deum. Sed contra. Si per intensiorem dilectionem nihil aliud intelligant adversarii, quam dilectionem proximi propter Deum, in vanum desudant: quis enim negat, proximum esse ex charitate diligendum propter Deum? Item, si amor Dei intensior sequatur infallibilitè ex amore proximi propter Deum, ut quid movent questionem, an sit obligatio intensius diligendi Deum, quam proximum? Sufficit inquirere, an sit obligatio ex charitate diligendi proximum propter Deum, quam omnes agnoscunt. Sed ex data responsione Adversarii, non salvatur inconveniens. Potest enim aliquis non ex charitate, sed aliquo honesto amore naturali amare proximum, iste amor non erit propter Deum sicut amor charitatis. Unde ergo cognosceret, se amare Deum intensius, quam proximum? de hoc argumento redibit sermo in Solutionibus Object.

At forte dicit alter, idem inconveniens sequi ex obligatione diligendi Deum magis appetitivè, quam creaturam; id enim etiam difficile cognosci potest. R. longè facilius dignosci amorem appetitivum, quam intensiorem; hoc ipso enim quo quis vitam in melius emendat, peccandi occasiones fugit, injustè ablata restituit, virtutes colit, omnia postponit amori Dei, & se paratum sentit omnia potius perdere, quam Deum offendere mortalitèr, noscit se amare Deum magis appetitivè, quam quodvis creatum; an autem magis intensè? nescit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum Daëlmann. Id intensius diligimus, quod magis est nobis conjunctum; atqui Deus est maxime nobis conjunctus: In ipso enim vivimus, movemur & sumus: ergo. R. D. Maj. Id intensius diligimus, quod magis est nobis conjunctum physicè, N. Quod magis est nobis conjunctum secundum propositionem factam appetitui, C. Quia appetitus non fertur nisi in bonum sibi propositum & in quantum est sibi propositum. Quamvis autem Deus sit maxime nobis conjunctus physicè, non tamen semper sic proponitur voluntati: & quamvis proponeretur, non sequitur, quod intensius amaretur; quia sensibilia magis movent appetitum sensitivum, & appetitus sensitivus movet, sollicitat, & inclinat voluntatem, ejusque actum intendit circa sensibilia, & retardat circa spiritualia a sensibus remota. Id totum quotidiano usu experimur.

Obj. 2. cum eodem: Præceptum est diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus: ergo intensius, quam quodvis aliud. R. N. Conseq. Minima enim charitas diligit Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus: alioquin peccaret, qui non haberet majorem. Diligere ergo Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, est ipsum diligere appetitivè super omnia, ita ut nihil amori ejus præponatur, & ipse dominetur affectui.

Inst. cum eodem: Inordinatum est, quod voluntas plus afficiatur erga bonum creatum, quam erga Deum: ergo. R. D. Ant. Inordinatum est, quod voluntas plus af-

ficiatur appetitivè erga bonum creatum, quam erga Deum, C. Plus intensive, N. Ratio est; quia appetitio fit ex intentione & electione voluntatis, intentio autem ex vehementia objecti immediatè applicatè appetitui. Sic voluntas eligit præferre majus bonum absens, quamvis intensius feratur in minus bonum præsens. Sensibilia autem, ut jam diximus, pro hoc statu magis nobis applicantur, non solum quoad appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, quam spiritualia; quatenus sensibilia immediatè tangunt & movent sensus, & intellectus proponit voluntati objectum haustum a sensibus, ex quibus fit, & quod sensibilia immediatè & fortius movent voluntatem, & quod appetitus sensitivus, motus immediatè a sensibilibus, movet, sollicitat etiam voluntatem, ejusque actum intendat. Experientia enim notum est, quod quo appetitus sensitivus affectus objecti est intensior, etiam actus voluntatis intendatur propter conjunctionem & sympathiam utriusque. Neque in his est quidquam inordinatum; quia hoc sequitur naturam rerum.

Obj. 3. cum eodem. Amor appetitivus supponit intensivum; quod enim unum omnibus aliis anteponamus, tenet quod magis intensè diligamus; atqui tenemur Deum diligere appetitivè super omnia: ergo & intensivè. R. 1. retorqueo argumentum: Amor appetitivus supponit intensivum; atqui tenemur sub mortali diligere Deum appetitivè super omnia: ergo tenemur etiam sub mortali diligere Deum intensivè super omnia. Hanc autem consequentiam negat laudatus Doctor, vultque esse tantum obligationem sub venia. Argumentum ergo in ejus principiis nihil probat, quia nimis probat. R. 2. N. Ant. & ejus probationem. Jam enim diximus, appetitionem haberi ex intentione & electione voluntatis, intentionem vero ex vehementia objecti moventis voluntatem; ique experientia notum est. Sic voluntas eligit præferre majus bonum absens minori bono præsentem, ita ut, si alterutrum deberet amittere, mallet amittere minus præsens, quam majus absens; & tamen intensius fertur in minus præsens, quam in majus absens.

Inst. 1. Tunc magis appetitivè aliquid diligitur, quando voluntas est magis adhæret; atqui non videtur voluntas magis adhærere, nisi quia magis conatur, & intensiorem actum habet circa illud: ergo. R. N. Min. Potest enim illa major adhæsiō oriri ex objecto digniori, vel altiori motivo. Sic v. gr. intellectus per actum fidei remissum magis adhæret articulis fidei, quam per actum scientificum intensum conclusionis demonstrationis. Sic Parentes magis adhærent filio absenti, virtutibus & egregiis dotibus præstanti, quam parvulæ proli præsentem, quamvis tamen hanc intensius diligant. Neque dicas, ita esse secundum appetitum sensitivum, non secundum voluntatem: certum est enim, quod Parentes non solum appetitu sensitivo, sed etiam voluntate suas proles diligant. Et insuper appetitu fortius incitante & sollicitante, intenditur actus voluntatis, cujus objectum a sensibus haustum ipsi exhibet intellectus, ut jam non semel dictum est.

Inst. 2. S. Th. Suppl. q. 3. a. 1. docet, dolorem de peccatis, qui est in voluntate, debere esse maximum; quia est de maximo malo, non autem dolorem qui est in parte sensitiva: ergo idem de amore. R. S. Thom. loqui de maximo dolore appetitivato; seu, ut alii dicunt, de quantitate essentiali doloris desumpta ex objecto: quo nempe dolore, ut dicit ibid. ad 4. & nos supra retulimus inter probationes, penitens est paratus quamlibet poenam pati, potiusquam culpam admittere. Hic autem a. 7. docet, quod, licet Deo conjunctiores plus diligere debeamus quantum est ex parte objecti, nobis tamen conjunctiores debeamus intensius diligere, & hoc secundum voluntatem. Rationem assignat ad 3. quia, inquit, charitas non solum eligit actum dilectionis secundum rationem objecti, sed etiam secundum rationem diligentis. Porro, si non sit inordinatio minus intensè diligere Deo conjunctiores: ergo nec ipsum Deum.

Obj. 5. cum eodem. Proximus charitate diligitur propter Deum; atqui propter quod unumquodque tale & illud magis, ut fertur commune axioma: ergo. In primis istud argumentum non impugnat nisi partem Conclusionis. Quid si enim proximus diligitur non ex charitate, sed aliquo amore honesto naturali, poterint tunc intensius diligi proximus, quam Deus? Quod si ita est, valde infirmatur sententia Adversariorum. Sed hoc omisso, sicut & aliis, quæ de ea materia dixi in ultima probatione, R. D. Ant. Proximus ex charitate diligitur propter Deum, Tò Propter dicente objectum amatum, N. Propter dicente rationem motivam amandi, C. Nostra autem

tam questio est de Deo in se amando, & non de Deo ut est ratio motiva amandi creatura.

Subsumes; atqui laudatum adagium verificatur etiam, quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, ut patet in eo, qui, amans media propter finem, magis amat finem, quam media, licet in eo actu amet media propter finem tanquam propter rationem amandi: ergo. R. D. Subsumptum: laudatum adagium verificatur quantum ad appetitionem, quando aliquid amatur propter aliud tanquam propter rationem amandi, C. Verificatur quantum ad intentionem. N. Patet in ipso exemplo instantis. Qui amat media propter finem, quamvis magis appetitivè amet finem, aliquando tamen intendit fertur in medium præsens, quam in finem absentem.

Inst. Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum, qui est ejus objectum formale, quam proximum, qui est tantum ejus objectum materiale: ergo Deus non potest ex charitate minus intensè diligi, quam proximus. Quidam distinguunt Ant. Habitus charitatis magis inclinat ad diligendum Deum objectivè & appetitivè, C. Intensivè, N. Quia, cum charitas sit habitus simplex & aequè intensus ut respicit Deum & proximum, equali quasi pondere movet potentiam ad dilectionem utriusque, modo tamen utriusque proportionato. Ità Wigers. Hæc solutio in sua probabilitate relicta, R. cum Serra, dato Ant. N. Conseq. Quamvis enim charitatis habitus secundum se magis & intensius inclinet ad diligendum Deum, quam proximum; quia tamen nobis infunditur secundum modum nostrum, scilicet ut liberè eo utamur, possumus in exercitio illo tui remissius ad diligendum Deum, quam proximum: sicut possumus tui remissius habitu spei ad sperandum beatitudinem, quæ est ejus objectum formale, quam ad sperandum alia bona, quæ solum pertinent ad ejus objectum materiale: item habitu Theologica possuimus uti remissius ad cognoscendum Deum, qui est ejus objectum formale, quam ad cognoscendum alia, quæ sunt ejus objecta materialia.

Urgebis: Omnis intensio ab habitu charitatis damnans est a Spiritu S.; atqui Spiritus S. non potest intensius inclinare ad creaturam, quam ad Deum: ergo. R. N. Min. Sicut enim Spiritus S. quandoque magis inclinat ad minus bonum, ut ad nubendum, quam ad castitatem servandam, sic potest magis movere ad diligendum proximum propter Deum, quam ad diligendum Deum propter seipsum; movet enim Spiritus S. unumquodque secundum illius modum & dispositionem.

Obj. 5. Deus meretur, ut eum diligamus amore intensiori, quam creaturam: ergo sic tenemur ex præcepto eum diligere. R. N. Conseq. Quia Deus non præcipit omnia, quæ meretur. Sic meretur, ut frequentius de eo; quam de creaturis cogitemus; meretur ut amore continuo, in quantum possibile est, in eum feramur. Neutrum tamen præcipit.

ARTICULUS II.

Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere, quam proximum?

IN homine duo sunt, (Ibid. a. 4. o.) scilicet natura spiritalis, & natura corporalis. In tantum homo dicitur diligere seipsum, in quantum diligit se secundum naturam spirituales, seu animam. Inter bona animæ quædam sunt absolutè necessaria ad amicitiam hominis cum Deo, ut sunt fides, spes, charitas, justitia, observatio mandatorum, &c. Alia non sunt absolutè necessaria, ut opera supererogationis, consilia Evangelica, &c.

Dico: (Ibid.) Homo debet ex charitate se magis diligere, quam proximum. Prob. 1. (Ibid. in a. s. c.) ex illo Matth. 22. Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Ex quo videtur, quod dilectio hominis ad se ipsum sit exemplar dilectionis, quæ est ad alterum: exemplar autem est potius, quam exemplatum: unde Aug. l. 1. de civit. c. 20. Regulam diligendi proximum, inquit, a semetipso dilector accipit: ergo. Prob. 2. (Ibid. o.) Deus diligit ut principium boni, super quod fundatur dilectio charitatis: homo autem diligit se ipsum ut participem illius boni, & proximum ut socium in isto bono; atqui participatio est potior consociatione, sicut unitas est potior unione: ergo homo debet ex charitate magis se diligere, quam proximum.

Dices 1. Tò Sicut Matth. 22. significat æqualitatem, non similitudinem: ergo. Prob. Ant. 1. ex August. l. 1. Soliloq. c. 2. dicente: Illam legem amicitie iustissimam esse arbi-  
Theol. Billuart. Secunda Secunda.

tror, quod præscribitur, ut, sicut non minus, ita nec plus quisquam amicum, quam se ipsum diligit. 2. Quia, si Tò Sicut significare similitudinem, posset dici: diliges te ipsum & proximum sicut Deum: ergo. R. Quamvis Tò Sicut aliquando significet in Scripturis æqualitatem, frequentèr tamen significat similitudinem, ut Matth. 3. Esto perfecti sicut & Pater vester celestis perfectus est; Joann. 13. Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et ita hic accipi, censent communiter Interpretes cum Auctore. Unde ad 1. probat August. intelligit de dilectionem ex parte objecti quoad substantiam considerati, scilicet quod eadem bona velimus proximo, quæ nobis volumus: & eadem mala nolimus proximo, quæ nobis nolimus. Ità se explicat Aug. l. de vera Relig. c. 46. ubi ait: Ea autem est regula dilectionis, ut, quæ sibi vult bona provenire, & illi velit, & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit. Cæterum de mente Aug. non est locus dubitandi, cum sæpè doceat hominem plus debere seipsum diligere, quam proximum. In Enchir. c. 76. hom. 37. inter 50. de Discip. Christ. c. 6. de Doctr. Christ. c. 23. l. 1. Retract. c. 8. Magis, inquit, mihi me debeo, quam cæteris hominibus quamvis Deo magis, quam mihi. Ad 2. Prob. N. Sequelam; quia longè dissimili modo debemus diligere Deum, quam nos, aut proximum, scilicet ex toto corde, super omnia, & tanquam primum & infinitum bonum.

Dices 2. Exod. 32. Moyses Deum sic pro populo deprecatur, Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Et Apost. Rom. 9. Optabam, inquit, anathema esse a Christo pro fratribus meis: ergo. Propter has auctoritates quidam dixerunt, licitum esse pro salute aliorum, non solum velle perpetuò carere gloria, salva tamen amicitia Dei, sed etiam velle carere gratia Dei, modo hujus carentia non proveniret ex peccato: quia carentia visionis beatificæ, salva Dei amicitia, & carentia gratiæ sine peccato, pertinet ad malum poenæ, & majus bonum est salus plurium, atque major Dei gloria inde resultans, quam salus particularis unius. Quamvis hæc sententia non sit improbabilis, nec contradicat Conclusioni, opposita tamen est probabilior; quia est contra naturam charitatis, adeoque inordinatum, quod homo sibi optet privationem gratiæ & gloriæ pro salute aliorum. Proprium enim charitatis est primò & per se perficere subiectum, in quo est, ipsum Deo uniendo; unitur autem homo Deo per gratiam & gloriam. Unde aliter R. Hoc dictum fuisse a Moysè per hyperbolem, seu piam exaggerationem, ad significandum excessum sui amoris erga populum Israëliticum. Vel sic dictum disjunctivè ex magna fiducia, quam habebat, quod Deus nec vellet nec posset ipsum delere de libro vitæ, quasi diceret: Domine, sum ea in te fiducia, ut omnino persuasum habeam te facturum, quod peto: Parce ergo populo, aut dele me de libro vitæ. Certus sum autem, quod me non delebis; restat ergo ut populo parceas. Non secus, ac si filius summe dilectus Patri volenti dimittere famulum sibi amicum diceret: aut dimitte illi, aut me cum ipso ejice. Alterutro sensu potest intelligi Apost. ad Rom. 9. vel dicendum cum Auctore (Q. 27. a. 8. ad 1.) quod Apostolus volebat ad tempus privari visione beatificæ, ad hoc quod honor Dei procuraretur in proximis.

Dices 3. Principale objectum charitatis est Deus; atqui quandoque homo habet proximum magis Deo conjunctum quia meliorem, quam ipse sit: ergo magis debet eum diligere, quam se ipsum. R. N. Conseq. (Q. 27. a. 5. ad 1.) Quia dilectio charitatis non solum habet quantitatem ex parte objecti, quod est Deus, sed ex parte diligentis, qui est ipse homo charitatem habens. Sicut & quantitas juslibet actionis dependet quodam modo ex ipso subiecto. Et ideo, licet proximus melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus charitati non habenti, sicut ipse sibi, non sequitur, quod magis debeat aliquis proximum diligere, quam seipsum. Quod ut melius intelligas adverte sedulo, id, quod est secundum se majus & melius, non esse unicuique majus & melius: sic v. gr. mille nummi sunt secundum se quid majus & melius, quam decem nummi: attamen decem nummi sunt quid melius & plus valent habenti, quam mille nummi alieni; ideoque merito plus diligit suos decem nummos, quam mille nummos alienos. Sic ergo, quamvis charitas mea ad duo secundum se sit minor, quam charitas alterius ad 8. attamen charitas mea, quæ me unit Deo, mihi melior est & perfectius bonum, quam charitas major aliena, quæ me non unit Deo, & ideo plus debeo æstimare charitatem meam minorem, quam majorem alienam, consequenter me plus appetitivè diligere, quam proximum;



tita etiam spectatur ex conjunctionem ad diligentem.

Inst. 2. Deo conjunctiores sunt magis diligibiles, plus enim participant divinam bonitatem, quæ est ratio diligendi ex charitate: ergo sunt magis diligendi.

R. 1. D. Conseq. (*Hic art. 7. o.*) Ergo sunt plus diligendi objective, & secundum speciem, C. Plus intensivè, N. Itaque omnis actus proportionatur objecto & agentis; ex objecto habet speciem, ex virtute agentis habet modum suæ intensiois: sicut motus habet speciem ex termino ad quem est, sed intensioem velocitatis habet ex dispositione mobilis & virtute moventis. Sic ergo dilectio speciem habet ex objecto, sed intensioem habet ex parte ipsius diligentis, unde, quamvis Deo conjunctioribus majus bonum velimus, non tamen ideo magis intensè volumus.

2. (*Ibid.*) Posse absolute negari Conseq., quia licet meliores participent divinam bonitatem, & ideo sint secundum præsentem statum magis diligibiles, ista tamen participatio in hac vita est mutabilis, & qui hodie plus participat, potest cras minus participare, & e contra, qui hodie minus participat, potest cras magis participare: at conjunctio secundum carnem est immutabilis: unde possum diligere ut mihi conjuncti plus participent divinam bonitatem, sicque plus eos diligere, quam qui nunc sunt meliores.

Inst. 2. Qui plures amat propter unum, magis amat eos, qui sunt isti uni propinquiores; atqui diligimus ex charitate proximum propter Deum: ergo.

R. D. Maj. Cæteris paribus, Transoat; cæteris imparibus, N. Hic autem cetera non sunt paria; quia 1. Conjunctiores nobis pluribus titulis diliguntur, quam propinquiores Deo. 2. Quia specialiter est nobis a Deo commendata dilectio & cura nobis conjunctorum: utrumque patet ex probationibus Conclusionis: sicut ergo, quamvis, v. gr. Gubernator Civitatis omnes subditos Regis diligit propter Regem, non tamen magis diligit Regi propinquiores, quam suos cives, quia nempe pluribus titulis eos diligit & eorum dilectio atque cura specialiter est sibi a Rege commendata. Ita in nostro casu.

Dices: August. 1. de vera Relig. c. 26. dicit, necessitudines propinquitatis carnalis esse ex peccato, & neminem esse aptum Regno Dei, qui non eas oderit: ergo. R. Aug. id retractasse l. 1. Retract. c. 13.

Rectè observat doctissimus Sylvius, quòd, cum Auctor hic & a. 6. loquitur de intensioe dilectionis, non accipiat eam strictè, prout consistit in gradibus intensionalibus, sed generalitèr pro perfectione actus, sive illa sit secundum plures gradus intensionalis, sive secundum appetitionem, quatenus amicitia unius magis estimatur: ideoque bonum illius amici magis procuratur, quam alterius.

Dico 3. (*Ibid. art. 8.*) Inter variè conjunctos, carnaliter conjuncti per se loquendo sunt magis diligendi in his, quæ pertinent ad naturam, quam aliter conjuncti. Supponit Conclusio varios conjunctionis modos. (*Ibid.*) In primis est conjunctio secundum carnem, ut inter Parentes & consanguineos. Altera est secundum societatem politicam, ut inter concives in eadem Civitate, vel inter Commilitones in eadem militia, tum inter se, tum cum suis Magistratibus, aut Ducibus. Altera est secundum communem vivendi modum in eadem Religione. Altera secundum rationem obsequii sive spiritualis, sive temporalis. Dicit itaque Conclusio, (*Ibid.*) quòd, per se loquendo, qui sunt carnaliter conjuncti, magis diligendi sunt in his, quæ pertinent ad naturam, quam aliter conjuncti, quia intensio dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem; conjunctio autem carnalis originis est prior & immobilior; quia est secundum id, quod pertinet ad substantiam: alie autem conjunctiones sunt supervenientes & removere possunt.

Dixi: (*Ibid.*) In his, quæ pertinent ad naturam; quia in his, quæ pertinent ad alias conjunctiones, sunt magis diligendi, qui secundum illas conjunguntur; ita ut, inquit Auctor, Unusquisque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, secundum quam diligitur. Intellegit extra necessitatem, ut modo dicam. Unde, v. gr. in re bellica magis obeditur Duci, quam Patri. Attamen comparando dilectionem dilectioni, conjunctionem conjunctioni, carnalis est cuiusque preferenda, ita ut si non possint præstari ea, quæ pertinent ad carnalem conjunctionem, & ea, quæ sunt propria aliis conjunctionibus, ista sunt omittenda, imò & istæ conjunctiones sunt deserendæ, si necesse sit. Unde miles, v. gr. debet militiam deserere, ut subveniat necessitati Parentum, Religiosus exire ex Monasterio in eundem finem. Unde relinquatur, quòd, simpliciter loquendo, carnaliter conjuncti sint magis diligendi, quam aliter conjuncti.

#### Consecraria.

EX his colliges 1. In gravi, vel extrema necessitate corporali, per se loquendo, magis esse succurrendum Parentibus, filiis, uxori, & probabilius etiam fratribus & sororibus, quam cuivis benefactori, quantumvis insigni. Quantum ad Parentes patet; quia inter beneficia nullum est comparabile beneficio, quòd a Parentibus accepimus. Quantum ad filios & uxorem, quamvis Parentes nihil accipiant a filiis, nec maritus ab uxore, tamen filii sunt aliquid Parentum & uxor aliquid viri, sunt enim vir & uxor una caro. Idem videtur dicendum de fratribus & sororibus; quia actor est conjunctio inter illos, quam inter quosvis alios. Dixi tam in Conclusionem, quam in Consecrario, per se loquendo; quia Conclusio cum Consecrario intelligenda est sub iis exceptionibus, quas 2. Conclusioni apposuimus. Vide.

Colliges 2. etiam in pari necessitate spirituali probabilius Parentes & filios carnales esse preferendos Parentibus & filiis spiritualibus; quia simpliciter loquendo Parentes & filii carnales sunt magis ex charitate diligendi, quam quivis alii; atqui, si non preferatur aliis in necessitate spirituali, non magis diliguntur ex charitate: ergo. Prob. Min. Dilectio Charitatis fundatur in participatione beatitudinis, & in communicatione bonorum spiritualium in ordine ad illam: ergo, si non preferantur aliis in necessitate spirituali, non magis diliguntur ex charitate, quam alii.

Dices: Generatio spiritualis est majus beneficium, quam carnalis: ergo plus debemus Parentibus spiritualibus, quam carnalibus. R. N. Conseq. partim, quia Parentes spirituales non sunt æquæ causa nostræ regenerationis, sicut Parentes carnales sunt causa nostræ generationis carnalis: causa enim principalis nostræ regenerationis est Deus & Christus; Sacerdos autem est causa instrumentalis tantum; at Parentes sunt causa principalis nostræ generationis carnalis: partim, quia generatio carnalis est fundamentum vitæ spiritualis, in quantum illa supponitur ad istam.

Inst. Unusquisque magis est diligendus in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, secundum quam diligitur, ut diximus paulò antè ex Auctore; atqui Parentes & filii spirituales sunt nobis magis conjuncti, quam carnales, quantum ad ea, quæ spectant conjunctionem spiritualem: ergo. R. Hoc dictum Auctoris esse intelligendum de iis, quæ sunt propria cuilibet conjunctioni; non verò de bono, quod est commune omnibus conjunctionibus, quale est vita eterna. Item intelligendum est extra necessitatem, quo casu fateatur Parentes spirituales debere magis curare spirituale profectum filiorum spiritualium, aut spiritualiter conjunctorum, quam Parentum, filiorum, fratrum, aut sororum carnalium. Quo sensu dicebat Ambros. l. 1. de Offic. c. 7. Non minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si in conjugio suscepissem; quam dilectionem Auctor hic art. 8. ad 2. explicat quantum ad officia spiritualia impendenda, ut instructionis in fide & in bonis moribus. Neque dubium est, quin Pastor magis debet invigilare salutem suorum Parochianorum, quam Parentum, aut fratrum, qui sunt alterius Parochiæ, & a suo Pastore sufficienter curari possunt. Idem dic de officiis & obsequiis propriis quilibet conjunctioni extra necessitatem Parentum & cognatorum: sic civis concivi, frater spiritualis fratri, aut Patri spirituali in Religione, &c. plus debet in his, quæ sunt propria Societati politicæ, vel Religiosæ, quam Parentibus & cognatis carnalibus.

Colliges 3. (*Ibid. a. 9. o.*) Patrem plus esse diligendum objective, quam filium; filium autem plus intensivè, quam Patrem. Ratio prioris est; quia diligimus Patrem sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & similioris Deo. Ratio 2. partis: Id intensivè diligitur, quod est conjunctius; filius autem est magis aliquid Patris, quam Pater sit aliquid filii; ramus enim est aliquid arboris, non arbor aliquid rami: (*In 3. d. 29. a. 7. o.*) absolute autem loquendo Pater in necessitate est preferendus filio, quia Pater diligitur ut causa, filius ut effectus; major est autem obligatio effectus ad causam, quam causæ ad effectum. Colliges 4. (*Hic art. 10. o.*) Patrem per se loquendo magis esse diligendum, quam matrem; quia Pater est nobilior principium, quam mater. Potest tamen facile contingere, quòd propter virtutes & merita matris, & e contra propter vitia & negligentias Patris, mater sit magis diligenda. Unde dixi: per se loquendo. Colliges 5. (*Ibid. ad 11.*) Patrem plus esse diligendum objective & appetitive, quam uxorem; uxorem autem plus intensivè, quam Patrem & filios,

lios. Ratio est; quia, ut jam diximus, diligimus Patrem sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni & Deo similioris, atque ratione accepit beneficii: Uxor autem diligimus ut nostram carnem, sicut ut conjunctionem, quam Patrem & filium: intensio autem dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem: ut jam non semel dictum est. Cæterum observant Theologi, ordinem in ritibus ultimis consecratis immutare, non esse grave peccatum; quia non est notabilis excessus unius super alium.

#### ARTICULUS V.

An & quo sensu liceat Deum diligere, & illi servire propter retributionem?

Dico 1. Fide certum est, licere aliquo sensu Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo, propter retributionem. Ita definitum est in Concilio Trid. Sess. 6. cap. 11. & can. 31. his verbis: Si quis dixerit, justificationem peccare, non intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit. *Constat* ex Scriptura in pluribus locis: David Psal. 118. dicit: Inclinaui cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. Apost. Hebr. 11. refert, Abraham & Moysen bona egisse intuitu mercedis æternæ. De Abraham dicit, quòd ex obedientia in terra promissionis, Tanquam in aliena demoratus sit; quia expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus. De Moysè quòd magis elegerit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, quia aspicebat in remunerationem. Matth. 19. Apostolis dicens: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? Respondit Christus promittens illis amplius, quam aliis, mercedem: Sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël. Coloss. 1. dicuntur habuisse fidem & dilectionem, propter spem, quæ reposita erat eis in Christo. Et Christus Matth. 5. eos incitat ad tolerantiam passionum intuitu mercedis: Gaudete, inquit, & exultate, quia merces vestra copiosa est in caelis. Idem passim asserunt SS. Patres Cyrilianus Ep. 16. Chrysost. hom. 63. in Matth. Ambrosius l. 5. in cap. 6. Luc. Hieron. l. 1. contra Jovin. c. 13. Aug. in Ps. 134. Tract. 51. in Joann. & alibi: item Ecclesia, quæ in officio Martyrum cantat: Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut heredes fierent in Domino.

Dico 2. (*In 3. d. 29. a. 4. o.*) Non licet diligere Deum, aut illi servire propter retributionem, tanquam propter finem rei amate, seu Dei: tum quia Deus non potest ordinari ad aliquid tanquam ad finem, cum ipse sit finis ultimus ad quem omnia ordinantur: tum quia alioquin retributio amaretur plusquam Deus; finis enim plus amatur, quam ea quæ sunt ad finem.

Dico 3. (*Ibid.*) Licet servire Deo sive ipsum diligendo, sive virtutum opera exercendo, propter retributionem æternam, sic ut retribuitur sit finis dilectionis & bonorum operum non ultimus, sed ulterius ordinabilis ad Deum. Pars 1. Nulla est inordinatio, quòd media ad finem suum proprium & legitimum, & merita ad præmium ordinentur; atqui finis proprius & legitimus bonorum, eorumque præmium est æterna beatitudo juxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: & 1. Petri 1. Reportantes finem fidei vestre, salutem animarum. Idque probant ea, quæ protulimus pro 1. Conclusionem. 2. Amicorum est, ut querant invicem frui; atqui merces nostra nihil aliud est, quam frui Deo: ergo.

Prob. 2. pars. Finis noster ultimus est Deus; atqui beatitudo æterna, licet objective sit Deus, formalitèr tamen non est Deus, sed quid crestum, scilicet visio beatifica: ergo. Hinc sequitur tertia pars: Si enim possumus servire Deo propter retributionem æternam tanquam propter finem bonorum operum, sed non ultimum: ergo tanquam propter finem ulterius ordinabilem ad Deum; ita quòd intendamus videre Deum, ut eum securius & intensius diligamus, atque in æternum laudemus & glorificemus; sic affecti, ut si nulla esset beatitudo speranda, nihilominus diligeremus illum, atque illi serviremus.

Dico 4. Licet servire Deo intuitu mercedis temporalis, non tanquam finis propriè dicti bonorum operum. Inordinatum enim esset, quòd actus virtutum, qui sunt præstantiores bonis temporalibus, tanquam media ad illa ut ad finem ordinarentur; sed tanquam media alicujus vel finem continentis, vel ad eum conducentis; ita ut se habeant tantum ut quedam motiva accessoraria. Juvant enim nos bona temporalia ad finem supernaturalem consequen-

dum: 1. In quantum per illa vita hæc corporalis, in qua sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur: 2. In quantum nobis organicè deserviant ad actus virtutum. Id confirmat praxis Ecclesiæ, quæ petit a Deo serenitatem, pluviam, fruges, &c. Imò ipse Christus, qui jubet nos in oratione Dominica petere panem nostrum quotidianum.

Potest (*Hic q. 27. a. 3. o.*) adhuc alio sensu, licet improprio, Deus diligi propter beneficia: quatenus homo ex acceptis, vel separatis beneficiis a Deo, disponit & incitatur ad diligendum ipsum propter se. Sed hoc non est diligere Deum intuitu mercedis.

Argumenta, quæ opponi possunt contra 3. Conclusionem, attenta ejus explicatione, facile solvi possunt. Unde breviter. Dices: Qui diligit Deum propter mercedem, plus diligit mercedem, quam Deum; propter enim unumquodque tale & illud magis: ergo. R. D. Ant. Qui diligit Deum propter mercedem tanquam finem rei amate, plus, &c. C. tanquam finem dilectionis, subdistinguo: tanquam finem ultimum transeat: tanquam finem ulterius ordinabilem ad Deum, N. Solutio patet ex ipsa Conclusionem.

Inst. 1. Amor Dei propter mercedem est amor mercenarius; atqui amor mercenarius, ut docet Auctor supra q. 19. a. 4. ad 3. est semper malus: ergo. R. D. Maj. Amor Dei propter mercedem, ad sensum conclusionis, est amor mercenarius propriè dictus, qui nempe principalitèr intendit mercedem sive temporalem, sive æternam, ita ut si non esset merces, non diligeretur Deus, N. Est amor mercenarius improprie dictus, quo quis scilicet ita mercedem spectat, ut si nulla esset, nihilominus diligeret Deum, C. At iste amor mercenarius non est malus.

Inst. 2. Diligere Deum propter mercedem pertinet ad amorem concupiscentiæ: ergo non est amor charitatis; charitas enim est amor benevolentis. R. D. Conseq. ergo non est charitatis primario, C. secundario, N. Non repugnat enim; quòd, qui charitate Deum diligit propter se ipsum, secundario aliquid commodum inde expectet: quia vera amicitia non excludit omnem respectum ad commodum ab amico consequendum modo principalitèr propter se ametur. Quantum ad SS. Patres, qui possunt opponi, intelligendi sunt de amore Dei propter mercedem temporalem, vel etiam æternam principalitèr intentam, & tanquam finem ultimum.

#### ARTICULUS VI.

Utrum sit melius & magis meritorium diligere inimicum, quam amicum?

Auctor (*Hic q. 27. a. 7. o.*) docet, quòd istæ dilectiones possunt comparari duplicitèr; ex parte proximi, qui diligitur, & ex parte rationis, propter quam diligitur. Quòd 1. modo dilectio amici præmineat dilectioni inimici; quia amicus & melior est, & magis conjunctus: 2. modo dilectio inimici præmineat, quia est purior & ostenditur esse fortior, quippe quæ se ad remotiora extendit. In his conveniunt Theologi: Sed quæstio inter illos remanet, quæ istarum dilectionum secundum se & cæteris paribus sit absolute melior? ut si uno actu non cogitando de inimico, diligam amicum ut duo; & alio actu, non cogitando de amico, diligam inimicum paritèr ad duo; quæ dilectio sit absolute melior, & magis meritoria? Constat namque, quòd, si una sive amici, sive inimici sit ad sex, sit melior altera, quæ est tantum ad duo.

Dico: Secundum communioem & probabilioem sententiam dilectio amici secundum se, & cæteris paribus, est absolute melior & magis meritoria, quam dilectio inimici. Videtur expressa sententia Auctoris, qui præsentem articulum septimum sic concludit: Dilectio amicorum, secundum se considerata, est ferventior & melior, quam dilectio inimicorum. Et q. disput. de charit. art. 8. ad 18. Si consideremus, inquit, istos duos actus, absolute melius est diligere amicum, quam inimicum. Prob. ejus rationibus: 1. (*Ib.*) Illa dilectio est absolute melior, cujus obiectum est melius; bonitas enim essentialis actus petitur ex bonitate obiecti; atqui amicus est melior, Deo & nobis conjunctior, quam inimicus: ergo. Si dicas, amicum posse esse aliunde pejorem. R. Conclusionem non spectare nisi præcisè rationem amicitie & inimicitie respectivè ad amantem. Confirm. 1. (*Ibid.*) Illud est absolute melius, cujus oppositum est pejus; atqui pejus est absolute odisse amicum, quam inimicum, ut in terminis dicit Auctor, & apprehendit sensus communis: ergo. Confirm. 2. Dilectio